



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Scientia Salvts, Sive Considerationes Piæ, Præcipuam
Spiritualis Vitæ Materiam complectens**

Laberhittel, Samuel

Ingolstadii, 1660

270. feria 5. de Docilitate.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-59837](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-59837)

482 FERIA 5. DOMIN. 14. POST PENTECOST.

MEDITATIO CCLXX.

FERIA 5. DOMIN. 14. POST PENTECOST.

De Docilitate.

Aspiciam Dominum IESUM gratias agentem Patri pro Docilitatis dono. Petam ejusdem beneficii particeps fieri, ut & ego gratus dicam: *Aures autem adaptasti mihi.*

Conf. 1. Docilitas est applicatio mentis sollicita, & submissa ad documenta majorum, non negligens ea per ignaviam, neque contemnens per superbiam.

Conf. 2. Incitamenta ad eam. 1. Exempla sanctissimorum hominum, qui alios consulere, quam suum iudicium sequi maluerunt. 2. Quae discretionis subsunt, pene infinita sunt, nec ea unus dignoscere sufficit, ergo alios libenter audiet. 3. Illi consulendi, qui sapientiam & rerum experientiam polleant. 4. Exemplum Christi, qui prius pernoctabat in oratione, quam eligeret Apostolos.

Conf. 3. Actiones ejus 1. Spirituali Magistro cunctos recessus mentis sincerè, & fidenter patefacere. 2. Faciles & paratos ad ejus monitiones nos exhibere. 3. In omnibus alicujus momenti, quantum prudentia permiserit, ad eum recurrere. 4. Quae praeceperit, aut suaserit reverenter excipere, & exequi. 5. Cum minus est prudentiae, obedientiam supplere.

Feria 6. Dom 14 post Pentecost. 483
plere. 6. Ubi consiliarius deest consilium à
DEO exquirere.

MEDITATIO CCLXXI.

Feria 6. Domin. 14. post Pentecost.

De Fide.

Aspiciam Dominum JESUM Auctorem
Fidei, juxta illud. 1. Pet. 1. *Per ipsum
fideles estis in Deo, sine qua impossibile est pla-
cere Deo. Quæ est fundamentum salutis, &
sanctitatis. Petã adaugeri in me Fidem Dei.*

*Conf. 2, Fides est virtus Theologica, quã
assentimur mysterijs revelatis propter aucto-
ritatem Dei revelantis.*

*Conf. 2. Incitamenta ad eam. Ecclesia à
Deo docta, & gubernata. 2 Ea, quæ res Fi-
dei credibiles faciunt, ut sunt Prophetiæ,
Martyria, testimonia infidelium, puritas le-
gis Evangelicæ, & mirabilis ejus cum ratione
concordia, mundi conversio, modus con-
versionis mirus per idiotas, inermes, vis fidei
in afficiendis animis, Sanctitas ejus Docto-
rum, stabilitas Ecclesiæ inter persecutiones,
clades persecutorum. 3 Necessitas Fidei, sine
qua non datur accessus ad Deum. 4. Fidem
docuit Christus, eamque prius immisit in
animos, quàm in corpora sanitate, ean-
dem promovit miraculis passim; auxit Fi-
dem Discipulorum vitã suã exemplari, ita,*